

P V I S



1 6 0 3

XLIX.

47.

ΠΡΟΦΕΜΜΤΙΚΟΝ

INGRATIAM ET

HONOREM REVERENDI VIRI

D. GASPARIS KORNERI LVNEBURGENSIS, SER.

uestæ ad D. Bartholemeum Diaconi, cum

inde in patriam ad idem officium

uocaretur, Scriptum

à

M. THOMA MAVERO IBIDEM

Ludimoderatore.



lx

VVITEBERGAE EXCVDEBAT

Laurentius Schuenck.

1561.

Prince



Sive sub Aonijs Musæ requiescitis antris,
Parnassi riguos siue tenetis agros,
Huc agite, & celeres huc uestros flectite gressus,
Detineat teneros nec mora longa pedes.
Debita cultori tribuam præconia uestro,
Ne modo me iusta destituatis ope.
Vos etenim uestros, decet, ut celebretis alumnos,
Ne quid in hos fatum iuris habere queat.
Nunc igitur ueras KORNERO dicite laudes,
Eximium meritis concelebrate uirum.
Ille etenim Phœbi sanctissima castra secutus
Hæc fatis assiduus miles ad arma fuit,
Prima puer didicit Latiae fundamina linguæ,
LOSSIVS huic studij pabula prima dedit.
Grandior ætatis teneros ut uicerat annos,
Texerat & pulchras iam noua barba genas.
Ingenij fertur leuibus sublimior alis,
Pegafidesq; magis coepit amare Deas.
Et quamuis longè primò conspexerat artes
In summo sedem, montis habere suam.
Nec cupido poterat gressu conscendere collem,
Debita quod iustæ copia abesset opis.
Non tamen abiicit studiorum fractus amorem,
Per sentes sed ei parta labore uia est.
Et quia diuini laudari uerba Philippi
Audierat, recta te Viteberga petit.
Muneris iniuncti memor hic processit, ut ante
Coeperat, & Christo dante peregit opus.

Principi

Principio studiū didicit qua mente uocandus
Sit Deus, & quo se mandat honore coli.
Præcipuè didicit quodcunq; necesse putabat
Esse sacris studijs notitiæq; Dei.
Optima, crede mihi, ratio est, si quisq; necesse
Quod uisum fuerit discit, & illud agit.
Non malè uiuit, agit qui, quæ sua uita requirit,
Debita cognosci qui studet, ille studet.
Et quia natura lucrosas sperneret artes
Solius elegit discere uerba Dei.
Sacraç diuini studiosè oracula uerbi
Amplectens didicit semper amare DEVM.
Perscrutansq; æterna Dei decreta parentis,
Hoc dulce in studio credidit esse mori.
Ex quo uelle DEVM sincera mente uocari,
Et castas didicit pondus habere preces.
Ergo sibi, elegit multis de millibus unam
Margaridem, hanc casto iunxit amore sibi.
Hic mea si qua potest nunc fundere uota Thalia,
His precor in multos dulcia fata dies.
Inde ministerij sacram deductus ad aram,
Officij accepit munia sancta pñ.
Errantes ut oues sacro inferret ouili,
Christus ubi pastor stat bonus ante fores.
Prouidus & rabidi teneris auerteret agnis
Armatus uerbo uimq; dolumq; lupi.
Tam pulchro GASPARE læteris nomine honoris,
Atq; animo repetas hæc benefacta tuo.

A ij

Hæc

Hæc benefacta, tibi, quæ præstitit inclÿta longè
Leucoris, hæc reliquas nunc caput ante leuat,
Vrbs ea constanti tibi sit charissima amore,
Maternæ fidei quæ tibi dona dedit.
Hanc habitant multi ueræ pietatis amantes,
Sunt qui ob doctrinam pectore digna coli.
Leucoris hæc habuit diuina uoce LV THERVM,
Qui docuit uerbi dogmata pura sacri.
Dum contra portas Stygias, Romanaq; monstra
Eleuat è turpi cœlica dona situ.
Sis memor, & gratus celebres benefacta Philippi,
Eximij meritis & pietate uiri.
Cuius fama uiget, qua Phœbus utramq; recurrens,
Aspicit in toto fulgidus orbe plagam.
Affinisq; tui MAIORIS nominis atq;
Famæ præcipuè te meminisse decet.
Huic si uiuenti prætendit nubila liuor,
Occidet, & ueniet postmodo dignus honor.
Eius scripta uolant totum dispersa per orbem,
Multorum magnis anteferenda libris.
Sed ne transfiliat neglecto tramite metam,
Vnde digressa fuit Musa resumat iter.
Ergo ubi GASPARIS per multos Leucoris annos
Ingenium studijs expolit alta sacris,
ASCANIAE solito PRINCEPS hunc more uocauit
SERVESTA ut Christi pascat in urbe gregem.
Ergo pñ sanctum munus pastoris adeptus
Non malè pauit oues Christe benigne tuas.
Et

Et quæ diuino lectissima semina ab agro,
Legerat, in populum mittere pura solet.
Ut benè iacta DEI proferrent dogmata fructum
Multiplicem, augmentum suppeditante DEO.
Infoelix lolium, sterilesq; perosus auenas
A ueris potuit tollere falsa satis.
Dogma nec est unq; pro uero amplexus inane,
Nec sibi id obtrudi uiuè doloùe tulit.
Infando studio nec dementatus habendi
Ante tulit uerbo pingua uota sacro.
Nescia turba DEI seu solitudine uictus
Cum pingui foedus pingue cohorte facit.
Quid placidos mores uitæq; exempla beatæ
Commemorem? insigni nil sine laude manet.
Esse pios ut uult alios pietatis amator
Sic prior est ipsi uiuere cura piè.
Fungi sollicitè proprio ipsi munere summa
Cura est, facta hominum non aliena sequi.
Ipsius in uultu ueneranda modestia fulgens
Certū mansueti pectoris omen habet.
Ipsè domi castus cum casta coniuge uiuens,
Incipit in casta uiuere carne DEO.
Hic igitur ualdè populo est dilectus ab omni,
Acceptus nostris Principibusq; fuit.
Huic licet & longo non consuetudinis usu
Iuncta fuit genij dextra fidesq; mei.
Attamen interea paulatim gratia crescens
Vnanimi uinxit pectora bina iugo.

A iij

Amplius

Amplius ut rumpi firmati foedus amoris
Fortunæ nullo posse rigore sciam.
Illa potens etenim iecit primordia uirtus,
Scilicet hæc ueri philtrea fauoris habet.
Lætus eram chari propter consortia fratris,
Moribus in cuius candor apertus erat,
Optabam mea corda frui, mea lenia potiri
Tam non fucato posse nitore diu.
Sed quæ fama uolat, totam sermonibus urbem
Sollicitans, uotis prorsus iniqua meis:
Scilicet Ascania quod discessurus ab urbe,
SERVESTA in Patriam sis abiturus humum,
Sic linques igitur charam Caspare cohortem
Quæ pastore pio te fuit usa diu?
Sic iunctos igitur linques KORNERE sodales,
Atq; tuum ratio nulla retardat iter.
Quæ procul à nobis te compulit ire cupido,,
An tibi SERVESTAE corda recessit amor?
Siste gradū hanc tumulus reuocat te paruus in urbe
Filioli marcens corpore, siste gradum. (bem
Fallor? an in lachrymas sese urbs modo tota resoluit,
Discessum luget concio tota tuum.
Filius ut mœret genitorem funere raptum,
Cuius opus monitu consilioq; fuit.
Sic te præconem fidum uerbiq; ministrum,
Auelli à nobis pectora nostra dolent.
Te CASPARE petit quo possit suauiter uti,
Semper amicitia dedita turba tuæ.


Sed

Sed nil uota ualent, ratione uocarís honesta,
Te uocat in patriam Christus & æquus amor.
Te Deus ipse uocat, Dominū comitare uocantem
Tartara, quem, cœli, terra', fretumq; tremunt,
Atq; simul dulcis patriæ indulgeto fauori,
Quod facis ah suauí non sine laude facis.
Nam natale solum mira dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.
Hæc si uis igitur saltem tua corda moueret.
Quis non propositum iure probaret iter.
Sed cum maiores urant tua pectora flammæ,
Vt tradas patriæ cœlica uerba tuæ.
Saluificoq; pios ad sidera tramite ducas
Præco uoluntatis iustitiæq; DEL.
Non tantum meritò te nemo retardat euntem
Sed citò perficias ut tua cœpta, cupit.
Vt per alacre tui maturè nominis omen,
Exhilarés ciues, CASPAR amice, tuos!
Grata Deo est pietas, patriæ seruire salutis,
Maius & haud alia quæritur arte decus.
Ergo tuos figas peregrina per oppida gressus,
Et subeas patriam sospes amice domum.
Quam nunc læta tuos complebunt gaudia, cunctis
Applausus circum pectora multus erit.
Gratulor, & lætis cedant precor omnia fatis,
Conatusq; tuos dirigat ipse DEVS.

Vt placit

Vt placida mores ornans pietate modestos,
Ad laudem uertas sic tua facta DEI.
Hoc sine nil poterunt hominum conamina, cunctis
Foelices cursus illius aura dabit.
At tu parue puer charissime MELCHIOR, unā
Qui dilecta pio cum patre tecta petis.
O utinam uentura tibi benè prosperat aetas,
O utinam aspirent fata secunda tibi.
Nescio quam facie mihi spem promittis honesta,
Et teneris manibus blandiduliscq; genis.
Signa placent, utinam sint rebus consona signa,
Te sibi dilectum seruet ubiq; DEVS.
CASPAR amice uale, casta cum coniuge, charo &
Filiolo, Christi uos manus ipsa tegat.
Ipede nunc fausto, fors æquior adsit eunti.
Longaq; fatali detrahe pensa colo.
Viue memor nostri, nostræq; faueto Camænæ,
Rursus amor iussit dicere, chare VALE.

FINIS.



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

XLIX

47

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ
...ATIAM ET
...M REVERENDI VIRI
...KORNERI LVNEBURGENSIS, SER.
... Bartholemeum Diaconi, cum
... patriam ad idem officium
... iocaretur, Scriptum

A MAVERO IBIDEM
Ludimoderatore.



...ERGAE EXCVDEBAT
...laurentius Schuenck.

1561

bx

